


normam coæquatam, alueolatam Vitruuium appellasse. Quis etenim mente constans, exæquatam complanatâq; superficiem alueolatam sibi videri affirmet? aliam igitur causam propter quam alueolatus stylobata diceretur peruestigavi, & veritatem ipsam, ni fallor, inueni. Alueus, Varrone teste, caua cortex est, vbi quid propter concauitatem reponitur, Vas quoque in quo apes mellificant, vnde Tibullus,

*Rure leuis verno flores apis ingerit alueo.*

*Compleat vt dulci sedula melle fauos.*



Sed & tabula lusoria ad latrunculorum ludum accommodata, alueus dicitur, nos tabulerium vernaculè appellamus. Vnde Plinius, *Messala diem natalis sui egit, transtulit alueum cum tessera lusorium.* Alueatum itaq; hoc est, in aluei modum excavatam, vel vt ait Vitruuius alueolatum, id omne dicitur, quod excavatam est. Vnde Cato de re Rustica, *sulcos, ait, si locus aquosus erit, alueatos*

*esse oportet.* Alueolatum igitur stylobatam illum rectè appellabimus, quia ad instar aluei excavatam videatur, licet ad libellam exæquatus. Formam itaq; alueolati stylobatæ oculis subiicimus.

Sitq;